

9
hn.
bos
ora
m-
fi

1705, 4 52.
992

23

EXERCITATIO PHILOSOPHICA, DE JURE PRINCIPIS DISPENSANDI CIRCA LEGES PRÆCIPUE POENALES,

Occasione Illustris controversiæ
Anglicanæ,

Cujus primam Partem

Auspice DEO Optimo Maximo

Sub PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI,

DN. JO. PHIL. PALTHENII,

Historiarum & Moralium Professoris Regii Ordin.
longe celeberrimi,

In Alne Pomeran. Auditorio Majori

ad diem Julii M DCC V.

Publicæ συμφιλοσοφίâ disquisitioni

submitit

JOHANNES BÄHR, Gryphisw.

H. Lph. C.

GRYPHISWALDIE,
LITTERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
REG. ACAD. TYPogr.



VIRIS

ADINTCIO CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
DOCTISSIMIS,

DN. CHRYSANTHO FRIDERICO
de MAGDEBURG,

S. Regiae Majestatis Sveciae Referendario & Protonotario
in Pomeraniæ citerioris Dicasterio famigeratissimo,
Hæreditario in Pentin;

DN. MOEVIO VOL SCHOVIO,
Structuario Universitatis Gryphiswaldensis & Secre-
tario Facultatis Juridicæ spectatissimo;

DN. JOACHIMO ERICHO,
Senatori apud Gryphiswaldenses amplissimo;

Patronis, Fautoribus, Cognatis, Hōspiti omni re-
rentie & honoris cultu prosequendis,

Exercitium hoc Academicum, in ulteriore sui com-
mendationem & studiorum suorum promotionem

officiosissime offert

RESPONDENS.

(3)(3)

St qvoddam qvasi con-
tinuum legum atqve hominum
inter se certamen , ut , utrum
accuratius illæ præcipere , an
lindentius hi peccare possint , ex-
periri videantur. Cujus rei in
ipsa Legis natura , ut & præsenti
hominum constitutione funda-
mentum latet. Cum lege enim ita comparatum est ,
ut fere , qvod volumus , vetet , qvod nolumus , præ-
cipiat , nos autem , dum scœvitatem ingenii pervincere
cupita , & à rebus ingratis abstinere enixe laboramus ,
in vetitum semper ruimus. Nec tamen ita proterve
agimus pleriq; , ut manifeste legis autoritatem oppu-
gnemus , aut fraude eidem adhibita delinqvamus , sed
fere commodas nobis interpretationes comminisci-
mur , per qvas inverso naturæ ordine , qui ad legis
præscriptum actiones nostras componere debebamus ,
id agimus , ut ad nostras qvalecunq;e actiones præ-
scripta legum qvadrent , & ne unqvam peccando pec-
casfe videamur. Qvod si tamen verum fateri velimus ,
non semper in subditis ea culpa residet , sed ipfi sæpe imperantes ,
aut qui imperii partes ab ipfis demandatas
tenent , in causa sunt violati aut segnitus præstiti obse-
quii , dum ipfi , qvod aliis faciendum edicunt , maligne
præstant , dum temere leges figunt & refigunt , dum
absurda præcipiunt , circa executionem legum negligi-
gentius versantur , aut alia qvacunq;e ratione pu-
blicæ saluti desunt. Qvos inter errores cum & temere

usurpata *dispensandi* quam vocant *licentia recte referatur*, constitutum est nobis, non nihil de eadem in præfens commentari, ut, quid res sit, de qua freqventissime & Theologi & JCti agunt, substrato è Philosophia idoneo fundamento, tanto quidem rectius intelligatur, quanto minorem in eadem declaranda diligentiam, qui excolendæ universalij jurisprudentiæ cum successu hucusque operam dedere, posuerunt, quantoq; gravioris momenti censendum est id esse, quod inter causas amittendi non unius regni Jacobus II. nuper habuit.

S. 2.

De vocabulo dispensationis notari hic meretur duplum ejus esse sensum, *aconomicum* aut *politicum*, quorum ille Latinus hic plane barbarus est. Prior ille proprie servo in familia numerosiori præcipuo tribuitur, qui nomine & jussu heri absentis aut alias res agentis vilioribus servitiis præest, jussa ipsis herilia exponit & interpretatur, operas distribuit, alimenta & mercedes confert, pecunias heri collocat, de bonis ipsis impendendo & expendendo aut alia quacunque ratione per diversi generis actiones freqventissime suscepitas libere disponit, nec cuiquam nisi hero ad redendas factorum rations tenetur. Hunc dispensatorem vocari Romani moris erat, quemadmodum nostra consuetudine freqvens est, ut inter servas, quæ pari officio fungitur dispensatrix (eine Ausgeberin) vocitetur. Vid. Pignor. de Serv. & passim Lexiograph. in voc. pendo. Posterior vocabuli significatus, quando ad legem id refertur, de qua, aut circa quam imperantes dispensare, aut à qua homines dispensari dicuntur, hoc nimirum sensu, quod

qvod qvi est Autor Legis aut ab ipso idonea facultate instructus certo supposito casu vim legis ordinariam inhibere & ab ejusdem obseqvio è subditis unum vel alterum absolvere possit, probæ latinitatis Autoribus invisus est atqve inauditus. Nisi qvis trahere huc velit, qvod apud Senecam est *dispensare libertatem, de benef. Lib. 10. Cap. 10.* cuius loqvendi modum si amplectimur, *dispensare circa legem subauditio vocabulo libertatis* nihil aliud erit, qvam restrictam à lege agendi facultatem alicubi laxare, & inter eos, qvi uniforme legi obseqvium debebant, pro ingeniorum diversitate discrimine constituto, qvid huic vel illi præ reliquis omnibus futurum sit licitum aut illicitum, significare. Ne forte qvod sciens indulgere non vult Legislator, invito eodem fiat, & qvod l. c. Seneca factum queritur in petulantiam atq; audaciam erumpat male *dispensata libertas.* Sed ut colore illo longius qvæsito utamur opus non est, dum in seqventibus planum faciemus, vocabuli ejus sensum in lucem eo tempore emerisse, qvo nil minus qvam verborum proprietatem aut intelligebant plerique mortalium aut curabant,

§. 3.

Res ipsa autem, qvæ nomine dispensationis continetur, ita habet... Repugnat naturæ atqve saluti hominis, ut promiscuas cujuscunq; generis actiones, qvæ viribus ipsi agnatis produci possunt, pro lubitu semper edat, sed opus est in plerisq; regula & norma, ad qvam rite eædem attemperentur. Sed normam illam lex præbet, qva voce intelligimus significationem voluntatis à superiori rite factam, qva qvid fieri à subiecto

A 3

velit

velit indigitatur. Ut ergo appetat, lex sua natura generalis est, & nulla restrictione addita, si autorem DEUM habeat, universum genus humanum tangit, si autem abs homine profiscatur, omnes eos, qui potestati ipsius subjecti sunt, comprehendit. Hos omnes una alloquitur legislator, & commune ab iisdem reqvirit obseqvium. Differt enim in eo à lege mandatum, qvod ad singulos respectum habet. Effectus autem utriusq; & legis & mandati est obligatio, per quam adid, qvod imperans jubet, faciendum, aut qvod prohibet intermittendum agnitâ ejusdem autoritate subditi adducuntur. Id tantum discriminis est, qvod ex lege profluens obligatio omnibus communis, qvæ ex mandato est, ei propria sit, qui mandatum accepit. Aſt priori obligationi cum ex magno subditorum numero pauci lubentes satisfaciant, pro firmamento legis accedere sanctio solet, qvæ est mali illius, qvod secus facientes mansurum fit, comminatio, cuius metus, qvod elici non potest, obseqvium extorqvet. De qvibus omnibus mentem nostram uberioris in Dūsert. de Obligat. rei ad sanctionem pœnalem nuper declaravimus. Qyando itaq; hoc rerum statu Legislator subjectum sibi hominem, quem certa lex respiciebat, obligatione ejusdem per contrariam mentis declarationem liberat, adeoque & à poena id, qvod indulget, facientibus præstituta imminunem præstat, ita qvidem ut eadem lege reliqui omnes constanter teneantur, & si contra eandem faciant, pœnæ obnoxii sint, qui solvere legem dicendus erat, dispensare de lege aut circa legem dicitur.

§. 4.

§. 4.

Primus eo vocabulo usus atque abusus Papa deprehenditur, ex qvo id egit, ut universo mortalium generi miris artibus dementato pro sua libidine imperaret. Scilicet qvam ille quantamqve potestatem à CHRISTO atque Apostolis circa omnia divina atque humana sibi collatam glorietur satis notum est. Qvando autem idonea illius probatio reqviritur, cum è planis perspicuisqve verbis ad Petrum ejusqve in Cathedra Romana successores unice directis peti eadem non possit, reliquum est ut hic illie sparsas scripturæ sacræ locutiones qvæ de CHRISTO, de Apostolis, verbique divini secuturis præconibus agunt, qvorum omnium jura Pontificia dignitate contineri impudenter dictitat, sollicitet atque cavilletur. Ubi dici non potest quantopere illi semper arriserint modi illi loqvendi, queis figura subest, qvæ crude accepta infinitam nec ullo oposito aliorum jure circumscriptam potestatem ipsi tribuere videntur. Cum contra ad palatum illæ dictiones non sint, qvæ aliquid qvidem sed non nimiaæ autoritatis designant. Sic titulo Piscatoris hominum, qvi à Petri exemplo peti poterat, vix unquam Papa utitur, veretur enim ne qvi homines vocantur humano faltem modo à pescatore suo tractari postulent. Commodius est qvod CHRISTUS doctrinæ suæ præcones cum agricultoribus comparat, hinc enim continuo Papa infert, reliquos omnes homines non alio qvam plantarum atque fruticum loco esse, qvos ipse agri vineæqve dominicæ curam gerens pro lubitu coér-

tu coercere, circumcidere, de loco in locum transferre, aut plane evellere suo jure possit. Sic quando Petrus ovium CHRISTI pastor constituitur, adest statim Papa & in omnibus Christianis ovinam simplicitatem requirit, ut non solum lac atque lanam pascenti praebant sed nec contra cutem ipsam detraeturum mutire ausint. Eadem ratione cum loco epistolæ Paulinæ agitur, quæ verbi divini praecones cum servis praesertim dispensatoribus comparantur. *i. Cor. IV, 1, conf. Matib. XX, 1. 8.* Qyamprimum enim haec Papa audit, se servum servorum DEI vocat, sibi claves quævis gratiæ divinæ Thesauri obserari ac reserari possint tribuit, & quæcunque sunt dispensatoris partes in reliquiam Christianorum multitudinem exercet, ut DEI nomine quæcunque vult onera imponere aut remittere & in universum de voluntate Numinis in conservos velut rectius sibi privatim cognita & arcanis mandatis declarata constituere possit. Unde sequitur, quod in potestate ejusdem sit legibus omnibus divinis adstringere aut exsolvere quoscunque velit, quod ipsum sibi licere confidentius affirmare coepit, ex quo Pauli Apostoli exemplo quod ex *i. Corinth. VII, 2. 6.* colligitur strenue abutit didicit. Rem ipsam vero quæ lucem refugit non poterat Impostor aptiori quam dispensatorio vocabulo obumbrare, barbaro quidem sed quod seculorum illorum barbariem non dedecret, quæ proferendo in lucem Juri Canonicó omnino opus erat. Hinc sub initium Decreti Gratianus *dist. XIII. de dispensatione adversus jus Naturale Pontifici competente* verba facit, quæ vox in locis subnotatis Concilii Toletani item-

qve

que Gregorii non occurrit, cuius loco Gregorius periphrasis hanc adhibet *resolvere id quod minori nexu obligare noscitur*. Conf. *idem seqq. dist. XIV.* ubi tamen parum accurate cum dispensatione compensatio, de qua sermo in locis subiunctis erat, miscetur. In quibus ipsis notari meretur, quod Leo Papa ad *Rufic. Narbon. Episc. epist. 90.* *temperare id legem vocet*, quod Gratianus dispensandi vocabulo exprefserat. Quæ Gratianum sequuta sunt tempora dispensationum atq[ue] indulgentiarum plena non solum omnia ex parte Pontificum fuerunt, pro eo ac Pius IV. pronunciavit VII. *Decretal. L. III.* t. 13. Romanum Pontificem, quem Dominus noster JESUS CHRISTUS vicarium suum *caelestibus i[n]besauris dispensandis* in terris constituit, decere, sed & exemplo Papæ adducti Principes pari circa leges solvendas potestate pariq[ue] illius potestatis nomine usi fuerunt, uti illustri quod præ manibus est ex Anglicana Historia specimine deinde commonstrabimus.

S. 5.
Differt autem hoc modo accepta *dispensatio* (1) ab *interpretatione Legis restrictiva*, qua verba ejusdem generalius & obscurius concepta ad hunc vel illum casum singularem ob circumstantiarum, quæ tempore latæ legis ob oculos erant, & quæ exercendi judicii tempore apparent, diversitatem haud quaq[ue]am pertinere, aut Legislator ipse declarat, aut qui nomine ipsius judicario munere fungitur, æquitatis rationem habens, nec tam ad verba, quam ad mentem Legislatoris respiciens pronunciat. Hæc enim interpretatio in judice quoque pedaneo locum habet, at dispensatio non est

B

nisi

nisi in Legislatore ipso. Ad illam pro veritate rei & causæ justitia faciendam & Princeps tenetur, & per eum judex omnino obligatur, imperite aut scelestè, si contra faciat, acturus. Hæc in plenissima libertate imperantis posita est, & à mera ipsius gratia originarie proficiscitur. Et quanquam idem in dispensando quoque partes suas inferiori judici ex formula certi mandati obeundas delegare possit, diversa tamen in eo interpretandi & dispensandi facultas est, & hæc quidem quam illa multo restrictior. Quandocunq; autem interpretationi restrictivæ locus est, ostenditur, dispositioni Legis factum, de quo queritur, plane non subflare, sed ubi dispensatio intervenit, manifeste is, qui sensu legis comprehendi dicitur, per peculiarem voluntatis legislatoriæ declarationem vinculo, quod vere ipsum stringebat, liberatur. Ut accurate docet adversus Vasquium L. I. C. 46. Grotius de J. B. & P. L. II. c. XX. C. 27. & adversus Miltonum de Divort. Pufendorf. de J. N. & G. L. I. c. 6. §. 17. & L. VI. c. 1. §. 24. itemq; contra Beccmannum in Medit. & parall. Polit. Illusir. Dn. Thomasius, Jur. Divin. L. I. c. 1. §. 79.

§. 6.

Differit (2) dispensatio à mutatione Legis sive ea abrogationis, sive obrogationis, sive derogationis nomine Romanorum consuetudine vocetur, de quo vid. Modest. Jct. L. derogatur ff. de verb. signif. & in fragment. Ulpian. tit. 1. §. 3. Abrogata enim lege ipsa illius obligatio universem expirat, quo posito dispensatione singuli opus non habent. Eadem ratione quando veteri legi lex nova contraria superinducitur, prior illa oblitterata vim

vim suam continuo amittit. Nec minus ubi per constitutionem recentiorem veteri legi qvicqvam detrahitur, in illis qvæ mutantur partibus ea, qvæ in iisdem partibus fuerat, obligatio evanescit. Ast dispensatio ubique existentiam legis, & ad eandem in subdito obligationem supponit, qvæ demum salvâ in cæteris legis autoritate persistente novo isto Legislatoris actu huic vel isti remittitur. Conf. Grot. & Thomas. II. cc.

§. 7.

Difserit (3) dispensatio à remissione pœne, ipsumque adeo jus dispensandi ab eo, qvod vocant, aggratiandi jure. Qvi enim delicto veniam concedit, is legem legiscque obligationem integrum & pœnæ in transgressor meritum agnoscit, à qvo demum certa ex causa aut mera Legislatoris gratia absolvitur. Qvi vero de lege dispensat, is in universali ejusdem dispositione aliquid immutat, dum certum ei hominem qvem pro objecto habebat subtrahit, qvo ipso fit, ut ab eodem suscepta actio legi contraria pœnaque adeo digna haud qvæquam censeatur. Seqvitur venia delictum, sed dispensatio ne delinqvatur efficit, permissione facti, qvod sine ea delicti nomen merebatur. Qvod tamen de actibus transitoriis, qvi simul & semel fiunt, intelligi debet, in actibus enim continua paulo aliter res habet, ut sape initium facti dispensatio seqvatur, & cum concessione venia sit conjuncta atque eandem fere excipiat. E.g. in casu prohibitarum nuptiarum, qvas qvis non requisita imperantis concessione contraxit, primo agitur de pœna, deinde si capitalis illa non sit ad validitatem male cœpti connubii requiritur dispensa-

B 2

tio.

tio. Et pœna quidem pro autoritate Imperantis neglectu dispensationis violata exigitur, dispensatio autem consequens non ad id tempus, qvod ab initio con-nubii ejus illiciti ad tempus solutæ aut remissæ pœnæ effluxit, sed qvod à persolutione aut remissione pœnæ ad futuræ cohabitationis tempus defluet, applicatur. Qvæ omnia non satis ob oculos Grotio fuerunt, qvando de J. B. & P. L. I. c. XX. §. 24. n. 2. prò exemplo dispensationis (qvam vocem per laxationem vinculi circa personam aut factum singulare manente de cetero lege æpi. Ph. (et) DEUM ipsum adducit, qvi Lactantio teste cum legem pone-ret, non utique potestatem omnem sibi ademerit, sed ignorandi licentiam habeat. Nec aliter existimandum est de loco Augustini, qvem idem profert: Imperatori, inquit, licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & ipsi ignorare. Aut de Senecæ dicto, qvo Neronem præceptis clementiæ informans admonet, ut hoc semper cogitet: Occidere contra legem nemo potest, servare nemo præter me. Ignoscere enim aut ignorandi licentiam habere, sententiam posse revocare, absolvere reum mortis, servare ex legum rigore perituros, hæc omnia ad solum aggratiandi jus, de quo diximus, ne-qvam vero ad dispensandi facultatem pertinent.

§. 8.

Differt & (4) dispensatio à suspensione legis, qvando videlicet idonea de causa rigor legis, qvi natura sua à tempore latæ illius ad id usqve tempus, qvo abrogatur, continuus esse debeat, interjecto spatio qualicunq; qvo ad pristinæ libertatis statum res reddit, distinguitur atqve temperatur, hoc sensu, ut qvicquid tempore illo

illo intermedio fit, pro non facto, aut pro non male facto habeatur. Cujus rei illustre exemplum ē Plutarcho in *vit. Agesl.*, mutuatur *Pufendorf, l. c.* Scilicet cæsis ad Leuctra Lacedæmoniis, cum magna juvenum multitudo in patriam refugisset, & de pena ipsorum ignaviae ex Legum præscripto irroganda ageretur, ut autoritatem earum & simul miseros servaret Agesilaus, *dormire eo die leges justi*. Quid si autem penitus rem inspicias, nec proprie dicta legis suspenio, nec circa eandem dispensatio (qvorum alterutrum quasi fluctuans facto huic Vir Summus tribuit) sed venia generalis concessio hic erat, qvam ipsam acute dicto acceptiorem reddere Agesilaus conabatur. Teste enim Plutarcho & numerus sōntium tantus, & tanta multorum potentia, tum & tale reipublicæ tempus erat, ut pena ordinaria non esset locus, unde satius erat, id qvicquid viti foret, ita condonare, ut, dum ingenuorum hominum pudori consulitur, ex ipsa facti pœnitentia stimulus iisdem ad fortiora audenda adderetur. Ad suspensionem itaque legis rite faciendam prævia opus est denunciatione ejus, qui legem tulit, ut illius se gratiam subditis ad certum tempus facere significet, additō an tempore illo elapso reviviscere eandem confestim velit, an nova tunc facienda promulgationē denuo illam sancire cogitet. Posteriori modo non tam suspendi effectus legis qvam omnino tolli videtur, per modum temporariæ abrogationis, siqvidem num tempore illo elapso nullā mutatione facta eandem denuo sit propositurus Legislator admodum est incertum, qvod ipse satis insinuat, dum spa-

tium sibi deliberandi expressis verbis sumit, quid autem
eō & nova promulgatione, si aliter res haberet, opus
foret? Qvorsum exemplum pertinet, qvod est apud
Appian. de bell. Pun. n. 68. ubi Consules permisisse dicun-
tur Tribunis plebis, ut certam legem in annum unum
abrogarent, qvo exacto ferrent eam denuo. Prioris
exemplum est, qvando subditis publico in luctu con-
stitutis exoriente nova gaudii materia unius aut alte-
rius diei hilaria indicuntur, qibus finitis lugubres
vestes iterum sunt induendæ. Qvæ res in modernis
Principum aulis frequenterissima est.

§. 9.

Difserit dispensatio (5) à permissione ea scil. qvæ fit
lege, nam qvæ nudæ est facti, solamqve impedimenti
Physici remotionem denotat, dubium vix habet. Aut
vero illa est plena, qvam Grotius vocat *L. I. c. 1. §. 17. n. 2.*
qvæ rem alia lege vetitam omnino licitam facit, aut
minor plena, qvæ solam impunitatem facto quantum-
vis ingrato tribuit, locumqve in adultis & prævalidis
vitiis facile obtinet, qvæ consultius est omittere, qvam
hoc assèqui, ut palam fiat, qibus flagitiis impares-
simus, censente Tacito *Annal. L. 4.* qibus adeo, ut idem
elegantissimè subjungit, intra animum mederi & com-
modius tempus expectare debet Legislator. Ubi ergo
plenâ adest permisso, lex antiquior per eandem omnino
tollitur, qvo casu locum non esse dispensatione diximus.
Sed ubi sola impunitatis concessio est, nec legi qvid-
quam nec obligationi ejusdem decedit, nec contra offici-
um facta is probat, qvi utcunqve ea dissimulare cogi-
tur. Exemplum luculentissimum Moses præbet ob-

σκληρος

στολην ποναργίαν Judaicæ Gentis divertiorum licentiam indulgens, quo ipso idem dici non potest de lege illa perpetuæ inter conjuges cohabitationis dispensasse, qui nil nisi custos & interpres illius erat, cuius mitigandæ potestas soli DEO latori competebat. Qvod *Marc. X. 5.* legitur, legem (*εὐθωτήν*) ipsum de divertio scripsisse, id non ita est intelligendum, quasi lege lata Moses omnino licitum illud fecerit, sed qvod casu divertii præter ipsius voluntatem existente, quid qualiscunqve ordinis causa faciendum sit, constituerit, uti ex verbis *Deut. XXIV. 1.* patet. Nec alia est permissione (*επιτρέπεσσις*) cuius mentio fit *Matt. XIX. 8.* quam quæ ad promiscuam rei impunitatem spectat. Qui ergo quicquid volebat boni efficere non poterat, majoris mali metu minus tolerabat. Qvod qui facit, nequam volens id admittit. Satius vero erat, dimissionem uxoris, cui infensus maritus esse cæperat, non impedire, quam lævitiae & furori ejus exponere misellam, aut nullo illius bono, sed magno Reipubl. malo familiam maritalem onerare. Si retineri à marito conjux nolebat, utilius erat, nubilem eam aliis exponere, quam sterilem neglectamque intueri. Si divertendum omnino erat, non male scriptiōnem libelli solemniorem Moses reqvirebat, ut & moram marito, quo impetus forte sedaretur, indulgeret, & ne cum impotentia maritorum animi levitas in conjugibus paria faceret, nec illæ divertii prætextu adulteria velarent caveret. In universum vero notari meretur fieri non posse quin quæ Respublica Polygamiam admittit divertiorum licentiam simul tolerare cogatur. Cujus rei ratio in aprico est.

§. 10. Dif-

§. 10.

Differt denique (6) dispensatio à privilegio, qvanquam verear, ut discrimen illud accurate per omnia constitui possit, qyoniam in usu apud Romanos dispensandi vocabulum non fuit, cum dubium tamen non sit, qvin penes eosdem aliquid rei ipsius obtinuerit, qvod, ubi commodius quam sub vocabulo privilegii latere queat, non appareat. Est vero privilegium quasi priva lex, i. e. lex non singulis (id enim naturae legis quae ad universos pertinet repugnat,) sed de singulis singulari ipsorum bono lata. Qvod enim Gellius not*at.* L. X.
c. 20. contra Attejum Capitonem censet, qvalemcunque constitutionem à populo plebeve de singulis hominibus factam privilegium dici oportere, velut quando de reditu Ciceronis aut de Clodii cæde actum fuit, qvo posito sententiæ omnes forenses tristissimæ etiam privilegiorum nomine insigniendæ forent, id à moderno gentium usu remotissimum est. Est itaque de natura privilegii, ut peculiare aliquod beneficium frumenti tribuat, id qvod ex sententia plerorumque dupliciter ratione. Primo qvidem quando novum alicui jus, qvod antea non habebat, & qvod alii non æquè habent, confertur, deinde quando vinculo legis laxato aliquid, qvod per eandem illicitum ante erat, cuiquam illicitum evadit, seu ut alii loqvuntur, aliud est privilegium *præter jus*, aliud *contra jus*. V. Laymann. *Theol. Moral.* L. I. tr. IX. c. 23. n. 5. Quantum ad prius attinet, non ita cuiquam novum jus confertur, ut alteri vetus detrahatur, sed simpliciter alicui aliquid tribuitur, aliis, qui pari cum eo conditione sunt, non tribuendum.

Utrumque

Utrumque autem & tribuere, & non tribuere id cuiquam, qvod in potestate habeas, summo jure licet. Nec minus in licitis est promittere cuiquam qvod ipsi dare velis, quam qvod nolis alteri. Sic instituta primum navigatione Indica inter Belgas, qvid qvæso prohibebat, qvo minus certis hominibus periculum rei insolitæ cum magno bonorum suorum discrimine facturis exercendi illius commercii privilegium datur, qvo præter ipsos deinde nemo timidior sit gavifurus. Sic in loco vacuo ædificandi, pascendi, in certa maris fluijqve parte pifcandi facultas certo hominum cætui cum futura aliorum exclusione recte indulgetur ; qvo fundamento omnia penè urbium atqve collegiorum privilegia, ab ipso eorum ortu pendentia, nituntur. Potest & porro alicui jus conferri remissione illius juris, qvod ipse privilegium tribuens habebat. e. g. Si princeps vestigal, qvod exigere certo loco ab omnibus poterat, huic aut illi peculiari benevolentia ductus condonet. Aut si immunitatem à tributis certo hominum generi ita civitas concedat, ut ratam eorum partem, qvod jure alias poterat, amplius non exigere, sed eandem in se recipere velit. Qvalia beneficia recte Grotius affirmat, donationis perfectæ titulo valere. L. II. C. XIV. §. 13. Hoc autem loco dispensationis omnino nihil esse manifestum est, cum anteqvam talia privilegia concederentur, lex nulla legitimas Principum donationes aut certi oneris levationem simpliciter prohibens exfaret. Ast privilegium, qvod vocant contra jus, nil aliud est, quam qvod nos dispensationem dicimus. Jus enim hic legem notat, & indul-

C

gere

gere aliquid contra legem nihil aliud est, qvam qvod prohibet lex permittere, aut qvod eadem mandat remittere, qvo ipso qvæ legi inerat obligatio in certo subiecto cessat, cessatio autem obligationis illius ab imperante producta vera dispensatio est. Id qvoqe rete à qvibusdam observatur, qvod dispensatio ad unum plerumque aut alterum actum pertineat, privilegium verò ad cōtinuam facultatem diversas ejusdem generis actiones exercēendi referatur. e. g. Ut hōmī ponsificio futuro jejunii qvadragesimalis tempore carnis bus vesci liceat, dispensatione obtinetur, si vero facultas illa in perpetuum ipsi induita foret, privilegii idem nomine veniret. *Suar. L. VIII. de LL. c. 2. n. 10.*

Intellecta natura dispensationis, si qvodnam iūs dispensandi Principi circa LL. pœnales cōpetat, qværatur? primo qvidem inter eas qvæ occurruunt Leges discrimen est constituendum, ut de divinis & humānis, de naturali, positiva, gentium & civili accurate judicetur. Deinde etiam Civilium Legum intuitu distingvendus est Principum ipsorum status, num is, qui suæ reipubl. est caput, sive idem regis, sive ducis, sive alio qvocunque nomine vocetur, pleno independentis atque absoluti imperii jure polleat: an vero limitata & certo modo restricta potestate utatur, qvo posteriori casu porro videndum, utrum in divisione partium summi imperii potestas legislatoria in solidum ipsi obvenerit, an verò eandem cum concilio populi communem habeat, ut adeò lex nulla nisi Rege rogante & populo sciscente, aut utroque qvacunque rati-

ratione consentiente ferri atqve abrogari queat, an denique planè in partem legislatoriæ potestatis Princeps non veniat, sed ad alienæ legis præscriptum imperio populum regere cogatur? Dum autem de Principe loquimur, non ea nostra sententia est, qvæ in solo Principatu & Monarchico statu dispensandi potestas resideat, cum contrarium verum esse & natura rei qvam explicuimus & exempla, qvæ ad manus sunt, demonstrant. Nam & in Republ. Romana Aristocratica atq; Democratica, aut potius inter Aristocratiā & Democratiam fluctuante Scipio Africanus anteqvam per LL. id liceret Ædilis & Consul factus legitur, itēmq; lege qvæ custos libertatis erat, ut in provinciarum administratione annua esset successio, solitus Cæsar decennio Gallias gubernavit. Cumq; ea laxandarum Legum potestate Senatus immodice uteretur, Cornelius qvem Cicero defendit Trib. Pl. legem promulgavit, qva ne qvis nisi per populum legibus solveretur cäutum erat, placuitq; ve in omnibus Senatus Consultis dispensatoriis adjici, ut eadem de re ad populum ferretur. Qvod cum in desuetudinem paulo post veniret, ut postremo ne adjiceretur quidem Senatus Consultis de rogatione ad populum ferenda, eaq; ve ipsa SCA. per pauculos admodum fierent, novæ constitutioni locus datus est, ne qvis in Senatu, nisi ducenti affuisserint, legibus solveretur. Vid. Pa. Manut. Antiqui. Roman. de LL. Qyoniam tamen in eo Reipubl. statu, ubi penes Optimates aut populum universum imperium est, ob æquum aëmulationem, invidiam, & dissensiones rarius est, ut in unius aut alterius gratiam

tiam à legum præscripto recedatur, satius nobis visum fuit, de eo casu tractationem instituere, in quo qvi ipse legibus est solitus, ut alios qvoqve lege solvat, facile à se impetrare solet, qvod ipsum post expulsos Reges juventus Romana recte intelligebat apud *Liv.*
Dec. I. L. II. c. 3. dictans : *Regem hominem esse à quo impre-
 tres, ubi jus, ubi injuria opus sit, esse gratia locum, esse BENE-
 FICIO, & irasci & ignorare posse, inter amicos atque inimicos
 discrimen nosse. Leges rem esse surdam, INEXORABILEM
 esse, nihil LAXAMENTI nec venia, si modum excesseris,
 babere.*

§. 12.

Qvod primum divinæ legis genus scilicet naturalem attinet observari meretur, qvod duæ distinctissimæ sint illius partes. Qvædam sunt juris naturalis præcepta absoluta, qvæ in ipsa natura hominis rerumq; naturalium omnium continuo qvodam cum eadem nexus fundamentum habent. Sed alia sunt præcepta hypothetica, qvæ certo instituto humano innituntur, qvod tamen velut universali qvodam pacto comprehensum naturalis juris, qvod pacta servanda docet, sanctimonia amplectitur firmatqve. Vid. *Pufendorf. de J. N. & G. L. II. C. III. §. 24.* Circa priorem partem facile appetet dispensatoriam nullam facultatem qualicunque Principi posse competere. Cum enim Autor illius solus sit DEUS, is qvoqve solus uti tollendæ sic & laxandæ illius potestatem, si qva est, habebit. Cum porro eadem pars legis omnes omnino homines obliget, in numero qvoqve eorum Princeps erit, qui qvalis quantusqve sit homo tamen esse non desinit. Ut quis

quis vero qvi subiectus est legi Legislatoriam simul eadem in re potestatem habeat, & suo se actu citra officii præstationem obligatione legis exsolvere queat, absurdum est, cum ista facultate supposita nulla amplius imperii vis foret. Non magis ergo mentiri aut fallere Principi licebit ac ipse fibi mentiri atque impone alios voluerit. Nec minus ipsi servanda sunt pacta cum subditis rite inita, quam ipse fibi à subditis promissa servari postulat. Multominus autem mentiendi atque fallendi potestatem Legatis ministrisque suis, ut improbe Regiarum fraudum Architecti censem, facere idem potest. Denique in viribus humanis non est vitare aut inhibere mala ista, quæ naturali causarum connexione facinora naturali legi adversa conseqyuntur & velut pro sanctione ejusdem valent. Sic quantumvis velit efficere Princeps non potest, quominus aut ipse peccans, aut alios peccare docens irreqviēto sit animo, odia hominum incurrat, in corpore debilitatem sentiat similiaq;. Sed in posteriori Juris Naturalis parte aliter res habet. Cum enim illa ut diximus certis institutis humanis innitatur, facile inde colligitur, quod in eorum quoque usu arbitrio hominum locus sit relictus. Esse aliquid in iis, quod salva totius rei constitutione mutari aut remitti singulis etiam non possit, facile fatemur; id vero non putamus de omnibus aut plerisque dici posse, quæ quidem absolutis juris naturæ præceptis satis consentanea, sed positis iisdem ita necessaria non sunt, ut libertati utensium nihil hic indulsum intelligatur. Nec propriæ mutatione Lex naturalis, quæ DEUM Autorem

C 3

nabat,

habet, sed institutum humanum, qvod eadem lex divina confirmat, afficitur, nec vero ulterius illa confirmatio, quam eorum qui ea indigent necessitas requirit, patet. Accedit qvod inter haec ipsa instituta humana imperium sit Civile, quo posito fieri non potest, quin ejus qui hoc imperio gaudet judicio atque potestati res illae circa quas exercendum imperium est subjiciantur. Non quidem eo sensu, ut is temere & prolibidine omnia miscere possit, sed ut urgente Reipubli: necessitate aut certi generis utilitate syadente in aliquo ejus instituti parte aliquid mutare adeoque & in casu speciali dispensare queat. Ut exemplum præbeamus, est inter instituta humana dominium rerum, qvod concessionem divinam generatim factam exceptit. Posito eo recte utique se habet quicquid de diversis acqvirendi, transferendi ac amittendi ejusdem modis, de facultate testandi, similibusque rebus jurisprudentiae naturalis Doctores magno consensu tradunt. Ast quicquid illius est non ex natura hominis quæ DE U M Autom rem habet, sed ex natura dominii deducitur, quæ ab hominum voluntate immediate pendet. Et quamq; præsens dominij natura absolutio juris naturalis præcepto qvod paecta servanda dictitat confirmetur, idem tamen præceptum ad alias quæque domini in rebus singularibus constitutiones applicari potest. Sed nunc quidem ut pluribus illa agamus opus non est, cum otium nobis hic fecerit præstantissimus labor Viri quo doctiorem atque celebriorem Pomerania non produxit Davidus Mevii in Natl. Jurispr. Univers. lipp. Et. II. §. 42. cum quo confessi ineretur elegantissima Consultiss. Dn. Werl-

pped

C

Dn. Werlhofii Dissertatio de Potestate Legislat. Civil. circa
ea quæ sunt Jur. Nat.

Positivæ Legis Divinæ nominè ceremonialem, moralem, atqve forensem complectimur. De ceremoniali vix est ut verba faciamus, cum nemo sit Christianorum, qui eadem se teneri putet, ut dispensatione opus sit, quam nec Judæi, qui superflunt à Christiano Principe unquam aut reqvirent, aut admittent. Forensem Judæorum legem i cum ipso eorum foro atqve republiça expirasse itidem in confessio est apud Christianos, nec quidem dispersis inter nos Judæis id conceditur, ut suis magis quam nostris legibus vivant, & ubi deliquerint plectantur. De lege divina moraliter aliter est existimandum, quam à naturali lege, ejusdemq; repetitione in Codice sacro subinde facta putamus distingvendam, ita quidem ut qvicq; præter vulgaria dictata rationis, præter ritus religiosos, forique Hebraici usum de actionibus hominum Sacrae Literæ proponunt, eo nomine contineatur, cuius loco qui *leges positiva divine universalis* vocem adhibent quid novi afferant non apparet. Id ergo omne cum DEUM Autorem habeat, ipsumque quem supponimus Christianum Principem proposita gravissimæ iræ divinæ & sempiternæ damnationis poena obliget, sub potestatem illius dispensatoriam cadere non potest. Nec quisquam puto Principum est, qui bona fide credat potestatem imperii civilis ad minuendam divinæ legis autoritatem poenas quæ futuri seculi condonandas valere posse. Fieri autem potest, ut quod ad legem moralēm verè pertinet

net errore Princeps inductus pro tali non agnoscat, qvo casu opinione sola labitur, si qvid dispensatoriæ potestatis circa id sibi tribuat. Cavendum qvoque solicite est ne cum ipsa lege morali sanctio penalæ externa, qvæ eidem alicubi adjuncta deprehenditur, nec tamen illius legis partem facit, uti contra communem eruditorum sententiam nuperrima *Difser. de Oblig. rei ad sanct. pæn.* ostendimus, confundatur. Qvicq; ergo ad sanctionem penalæ externam pertinet id plane forense est, nec circa id minor Principi potestas qvam circa reliqua legis Judaicæ forenisi capita, qvorum obligationem nullam esse omnes confitentur, competere est dicenda. Non poterat enim pena hæc violatae legi morali annexa cuiqvam nisi publica judicum autoritate irrogari, nec popula ria qvidem supplicia, qvale v. g. lapidationis erat, sine prævia judiciali causæ cognitione inferebantur uti patet è *Deuter. XVII, 1. sqq.* Confer, *Sigon. de Republ. Hebr. Lib. VI. Cap. 8.* Quemadmodum apud Romanos fustuarii pena in eos qvi signa reliquerant, aut præsidio decesserant statuta non aliaratione irrogabatur, uti testatur *Polyb. Hist. Lib. VI. Cap. 34. & 35.* Unde seqvitur qvod sublata illa qvæ hoc modo judicium exercebat Republica, ipsoq; populi, in qvem id obtinebat, corpore sublato nulla amplius legum eo pertinentium obligatio esse possit. Accedit qvod leges judaicæ forenses, sive peculiariter expressæ sive moralibus adjunctæ, fere omnes ad peculiarem ejus rei publicæ statum populique genium attemperatæ sint, a qvā cum aliarum civitatum atq; gentium constitutio

tutio immane quantum diffideat, nihil utique causæ est qvare singuli Principes ad sua Reipublicæ rationes omnia hic exigere non possint, id qvod plerosque facere viderunt, qvi e. g. de Sabbatho celebrando præceptum divinum agnoscunt sed nulla capitali poena negligentius idem facientes plectunt, & contra propria furibus mulcta non contenti suspendio eos necant. Qvæ status præsentis à veteri Judaico differentia quemadmodum offendere neminem cum ratione potest, ita si qvid est in formula actionum nostrarum forensium penaliumqve legum, qvod cum judaici fori usu forte consentiat, ejus non ex autoritate Hebraici statuti, qvæ nulla est, sed ex nostri Principis consentanea statuentis voluntate arcessenda obligatio est. Unde porro seqvitur qvod qvando de ejusmodi lege aliquid is remittit, de eo tantum qvod suum est liberalis sit. e. g. Homicidas DEUS in populo Judaico capitali poena plectendos censuit, idem ex naturali ratione æqvissimum esse jam ante Cainus viderat, & post eum alii qvi de hac lege judaica nunquam inaudierunt consultissimum sunt arbitrati. Hi si forte Christiani facti avitam legem retineant & inferiori judici observandam proponant, deinde autem in casu speciali vinculum ejus laxent, de sua non de divina lege censendi sunt constituisse. Qvod autem de loco Gen. ix. 6. dubium hic multi movent, verba que de occisoribus occidentis agentia ad legem moralēm referunt, id speciosa hac ratione nititur qvod ante constitutionem Reipublicæ Judaicæ, in qua deinde forensis lex obtinuit, eadem prolata fuerint.

D.

Sed

Sed hæc ipsa causa obstat qvominus credamus ad legem proprie dictam id omnino referri posse, cuius execu^{tio} non nisi post civitatem constitutam, à qva multum Noachi ætas aberat, per modum jurisdictionis fieri potuit. Noacho enim & per eum patribus familiarum jus vita necisqve hoc dicto fuisse attributum nemo affirmabit, qvo nec usos illos fuisse uspiam apparet. Jacobus certe cum Filiis nefariam Hemoritarum cœdem vitio daret, non ad capitis pœnam per modum Judicij ipfis à se inferendam provocat, sed mala qvæq; ex propinqvorum vindicta belloqve oritura ob oculos eis ponit. *Gen. XXXIV. 30.* Unde probabile est de simili casu, qvem verba ipsa vindictam & ultionem spirantia satis exprimunt, aliisq; eventuum fortuitis DEUM loqui, qvæ per minas gravissimas homicidis se immisurum idem profitetur. Adde qvod nec ad Noachum familiae suæ caput, sed ad omnes à diluvio superstites sermonem DEUS dirigat, qvi dici non possunt irrogandæ occisoribus pœna jus mutuo exercendum accepisse. Qvodsi vero ad futurum constitutæ Reipubl. casum hæc verba pertinent, dubium non est, qvin eadem loco *Exod. XXI. 12.* contineantur, adeoq; hoc ipso facta sint pars legis Judaica forensis. Quemadmodum qvod eodem loco Geneseos de vitando sanguinis esu præcipitur autoritatem novam accepit ex sequenti interdicto *Lev. XVII. 14.* Si autem Lex illa, qvæ lata est *Gen. IX. 4.* in Lege recentiori *Lev. XVII. 14.* repetita, deinceps abrogata intelligitur, ut nihil omnino obligationis amplius super sit, idem & de Lege *Gen. IX. 6.* lata & *Exod. XXI. 12.* iterata dici poterit ac debebit.

Nisi

Nisi quis in rebus conjunctissimis infinitæ qvidqvam diversitatis efficere, unamq; & eandem legem moralē simul & forensem esse, qvæ perpetuo obliget & non obliget, afferere velit, aut vero non omnem Legis forensis autoritatē defuisse opinetur. Qvæ omnia confici & conciliari haud qvaqvam posse arbitramur. Propterea autem, qvod nullam Judaicæ Legis ad capitalia homicidarum supplicia in Principe Christiano obligationem admittimus, non dicimus male eum agere, si qui aliis vitam rem pretiosissimam eripiunt ejusdem impendio scelus luere cogantur, nec rectius ipsum facturum opinamur, si leviores gravissimo facinori pœnas præstituat. Id tantum volumus in casu speciali nihil obstare, qvominus qvod è re publica videatur hic qvoq; fiat, & per modum dispensationis sine exemplo cuiqvam subveniat. Ubi tamen notandum est per ea qvæ nunc dicimus instituti præsentis limites à nobis haud migrari, nec qvod ante constituiimus discriminem inter dispensationem & pœnce remissionem confundi. Ibi enim dicebamus dispensationis nomine solam pœnæ promeritæ remissionem minus recte appellari, hic autem nobis de eo casu loqvendi occasio præbetur, qvando certum pœnæ genus admisso facinori irrogandum ab eo qui summum hábet imperium subjecto Magistratui est præscriptum, à qvoni in casu speciali Princeps discedere ipsum jubeat, qvod respectu rei aggratiatio id respectu Magistratus dispensatio est. Qvæ res minus accurate observata plurimis circa præsens argumentum hallucinationibus ansam præbuit.

D 2

§. 14. De

§. 14.

De Gentium Jure pauca nobis dicenda sunt, cum pro lege proprie dicta idem haud agnoscamus, quicunque vocabulo significatus tribuatur. Aut enim hoc ipso ipsissimum ius naturae, non singulos homines sed integras societas civiles pro objecto habens, aut Jus Civile communius, aut deniq; collectio quædam certarum consuetudinum rituumque, qui plerisque in locis inter capita rerum publicarum subjectasque in dem nationes obtinent, designatur. Nec male. Nam naturali jure plerasque omnes *Gentes* rationis ductum secutas uti constat, dantur quoque civilia jura pluribus *Gentibus* communia & fortuito earum consensu stabilita, deniq; & certi *Gentium* mores speciem quædam juris ex ipsa usus diuturnitate & utentium numero præbent. De priori jamjam diximus, de medio paulo post dicemus, de ultimo monuisse sufficiet quod quicquid illarum consuetudinum est liberrima utentium imitatione constet, solaque mutua utilitatis aut decori ratione, nequaquam autem legis aliqua obligatione, quæ inter pares locum non habet, nitatur. Nec trahi in contrariam sententiam potest quod vulgo dicimus consuetudini vim inesse legis, id quod in statu tantum civili obtinet, ubi quicquid quotidie, palam, à multis aut plerisque ita fit, ut latere imperantem non possit, nec tamen ulla ratione ab illo improbatum, tacite ab eodem probari ac confirmari contra paucos refractarios atque novatores recte creditur. Exigua est enim inter id, quod velit Legislator & quod non nolit differentia. Cumque voluntas illius in Civitate norma sit

fusci-

fusciendarum actionum, parum certe interest utrum eadem verbis expressa adsit, an vero citra erroris periculum præsumatur. Non debet quoque alias esse civilium legum scopus, quam ad commoda Civium directus, quæ cum ipsi rectissime intelligent, & in usu vulgarium rerum conformatis judicio suo moribus designant, quin nihil quod in iis desideret Princeps habet recte ea qualicunque suo assensu firmare creditur. Quæ omnia ad societatem liberarum gentium applicari haud quaque possunt. Quod alii de pactis gentium pro lege inter ipsas valentibus subjiciunt, id per se inane est, nam nec universalia gentium pacta præter id, quod est naturalis juris, quidquam constituenta dantur, nec specialia pacta, quæ v. g. inter Svecos & Danos obtinent vocabulo Juris Gentium, nisi speciali earum nomine addito, venire possunt, quo ipso quid quoque opus est, & quare vero pactorum nomine non uteatur? Qvicquid vero vim pacti habet id inter æquales valet, nec ad legem pertinet, quæ superiorem ponit, unde & quæ legem laxat dispensatio ad pacta laxiora reddenda porrigi nulla ratione potest. Nisi quod circa pacta privatorum in statu Civili Imperantibus potestas competit, hactenus, ut si quid illi publice noxiū promiserint obligatio tolli possit. Id autem nemo dispensationem, sed à promisso, pacto aut juramento *absolutionem* vocat, de qua nunc dicendi locus non est.

§. 15.

Supereft, ut de Civili Lege secundum monita §. II. dispiciamus. Quod si itaque Autor illius Princeps sit

D 3

plena,

plena, independente atque infinita potestate præditus, nullum est dubium, quin & eadem circa exercendas leges pro lubitu uti possit, absonumque est omnibus imperii partibus limites abesse, & tamen iisdem Principem, quando circa leges versabitur, includi. Unde etiam a dispensantibus ad plenitudinem potestatis provocari solet, quæ & ubi occasio arriserit haud segniter utuntur. Testantur ea de re Constitutiones, quas vocant personales Principum Romanorum post abdicatam lege Regia populi potestatem factæ, quas inter expresse id refertur, ut *alicui sine exemplo Princeps subvenire possit*, §. 6. *Instit. de J. N. G. & C. & L.* 4. §. 2. n. *de Consil. Princip.* quæ verba non magis ad remissionem pœnæ, quam ad vinculi ipsius, quod in lege est laxationem videntur pertinere. Sic nostro hoc seculo de Galliarum Rege verissimum est, quod quicquid ei placuerit vigorem legis habeat, unde sequitur, quod quicquid eidem displicere cœperit in causa esse possit, ut de vigore illo per modum dispensationis remittatur. Quicunque autem nomen Regis Principisque habens sola legum latarum executione fungitur, is quanquam certo supposito casu differendæ aut remittendæ pœnæ potestatem habere possit, uti in Republ. Belgica Arauionensis Principis exemplum docet, in lege tamen ipsa ejusque objecto semel definito mutare nihil potest, nisi legislatoriam facultatem, quæ ex hypothesi penes ipsum non est, involare ausit. Talis olim conditio Spartanorum Regum fuit, qui in Leges sive Rhetras à Lycurgo statutas nulla omnino potestate erant teste Plutarch. in Lycurg. Eadem nunc sors est Poloniae Regum quæ

qvos anteqvam imperium adipiscuntur ad simplicem Legum extantium custodiam adstringi certum est. Nec fieri sane potest, ut qvi non condit Leges in conditis qvidqvam immutet. Ast à condendarum legum occasione natura ipsa interregni, qvod electionibus suis Poloni præmittunt, Reges ipsorum facile excludit. Si cui autem Principi in ea Republica versari contingat, qvæ aliquas tantum imperii partes ipsius arbitrio permisit, si inter eas legislatoria potestas sit, dispensandi is qvoqve potestatem habebit eodem, qvo qvi absolutum imperium habet, jure. Non refert enim circa rem præsentem qvo idem potestatis modo in reliquis Imperii partibus utatur, modo Legislatoriæ facultatem illibatam habeat. Qvi ferre autem Leges potest, easdem etiam abrogare potest. Utrumqve autem qvi potest, id qvoq; qvod inter utrumq; medium, & qvod minus utroq; est, efficere poterit. Apposite *Grotius de eqit. indulg. & facil. c. 2. n. 20. Dispensare*, inquit, *boc est lege solvere is solus potest qvi ferenda abrogandaq; Legis potestatem habet. Conf. Pufendorf. de J. N. & G. L. I. c. VI. §. 17. Thom. Jurispr. Div. L. I. c. I. §. 81.* Ast cui in divisione partium Summi Imperii facultas illa Legislatoria communis cum alio facta fuit, is solus excluso altero qvemadmodum nec ferre, nec tollere Legem, ita nec circa eandem dispensare potest.

§. 16.

Qvando itaq; de Jacobo II. Angliæ qvondam Rege dispensatoriæ circa publicas pœnalesque LL. autoritatem sibi arrogante qvæstio est, qvæ qvidem maximis tot regna turbis ipsumq; tandem Regem ruinæ

ruinæ involvit, res omnis eo redit, ut qvæ indoles Regiæ potestatis in Anglia sit sciamus. Pro infinita omnibusqve numeris libera vix qvisqvam eam, qvi de Parlamentorum nomine inaudiverit agnoscat. Nec facilius qvisqvam ita de eadem abjecte sentiet, ut plane nullo numero in Anglia Regem esse opinetur. Restat ergo ut cum divisam cum Rege potestatem populus Anglicanus habeat, qvem penes potestas legislatoria residet definiatur, quo factò uter partem ejus dispensatoriam exercere possit, innotescet.

§. 17.

Affirmamus ergo Legislatoriæ Anglicani Imperii facultatem Regi atqve Concilio populi, qvod Parlamentum vocant, communem esse. Id qvod ipsa condendarum legum unica ratio satis indicat, qvam luculenter describit Vir patriarcharum rerum peritissimus Tho. Smithus de Republ. Anglor. L. II. C. 2. Qvod bonum inquit felixqve regno totique Reipubl. sic monent (Angliae Clerus, Nobilitas, Civesqve) simulqve super co consilia communicant, cum post bene longum deliberandi spatium ter recitata pro more loci Schedula, & in utraque divisionibus agitata, seorsimqve ambarum partium calculis comprobata Regio demum assensu confirmatur, quodque sic gestum est Principis & universi regni factum interpretamur, proinde nullus posseta cuiquam oboriri debet querelæ locus, sed qvia rescindi amplius non potest, & promulgatis semel Legibus omnes tenemur acquiescere, firmum, stabile & sanctum appellamus; & legis apud nos vigorem habet quicquid hujusmodi consensu perfecerit Conf. idem c. lxx. 3. qvi locus prolixior est qvam ut hoc transscribi queat, qvod tamen factum jam

jam est in *Theſ. Rerumpubl. Conring. Part. II. pag. 617. seqq.*
 Sequitur autoritatem Smithi in *Inſtitut. Juris Anglic. ad method. Imperial. Cowellius pag. 25. ſ. 3. 4.* *Jus nostrum inquit, dividitur in ſcriptum & non ſcriptum.* Illud statuta continent, que non à ſola Principis voluntate proficiuntur, ſed universi regni conſenu per Regem ad hoc convocati ſtabiliuntur, ſic tamen ut Regis approbatio neceſſario requiratur. Subjungit p. 27. ſ. 8. *Jus Civile Anglorum potest eorum conſenu mutari quorum conſilio eſt promulgatum.* Idem agnoscit Sandersonius quanquam Regii alias partibus juſto addictic de Oblig. Conſ. Praelect. VII. ſ. 22. negatque Angliae ſuæ Reges Legislatoriam ſuam potiſtatem ita unquam exercuifere, ut ſine ſubditorum ſuorum conſenu leges aliquas iþis imposuerint. Quid ipſe Carolus I. Angliae Rex, qui dici non potest quidquam juris ſui aut ignorasse aut neglexiſſe, in Reſp. ad propoſ. 19. fatetur coniunctim in Anglia Leges ferri à Rege & utraque domo Parliamentaria. Tantumque abeft, ut res iſta noviſſimis forte temporibus mutatione in ſenſerit, ut potius in hunc uſq; diem obtineat, teſte Mieg. in Descript. Stat. Engl. modern. Part. II. pag. 53. & 257. seqq. & Chamberl. in Notit. Anglia Part. I. p. 50. & Part. II. p. 39. 42. seqq. Quibusbū conſentit Thomas Wood. in Notit. Engl. pag. 144. seqq. ſuccincte rem universam ſic exponens: *Integrū eſt utrig. Conſeffu;* (intelligit domum ſuperiorem atq; infeſiorem Parlamenti) de rebus à Rege propositis vel de Legibus condendis abrogandis ve &c. diſſerere & ſtatuerre & ſcriptis man- dare, ita ut quicquid ter lectione viderat, alteri invicem per nunios transmittendum ſit. De quo habita diſceptatione, ſi ſuffragiis adiectis eiāem ſententia acceſſerit conſeffu; in ſcripti Capite notatur bac inter Proceres formula: *Les Seigneurs ont aſſentés, inter Popularites iſla, Les Communes ont aſſentés.*

assentés. Sin in diversum abeant, uterque non raro Confessus in unum coit, aut ex his selecti precipui viri, qui sermones conferant loco ad conventum accommodo; quem Camieram appellant depictam; in qua stantes Communes & nudatis capitibus Proceres pila sectos & sedentes excipiunt grandi cultu, atque ibidem utrorumque exponuntur sententiae: quas si discrepare contigerit (sicut accidere interdum solet) in nihilum res abit. Si vero in unum convenient ad Regem aut ad illius Commissionarios res defertur: quam si probaverit & ille, scribit Le Roy le vœt, quo, veluti anima corpori infusa, vitam accipit, atq. in Legem numeris omnibus absolutam transit. Ilbi vero Rex oblata sibi comprobare noluerit, scribere in summo pagina solet Le Roy s' avisera; interdum disertim negat, que propterea ut penitus abjecta & abolita reputantur. Idem evidenterissime docent quotidiana prodeuntium Legum exempla, quibus omnibus solennis haec formula primititur: Statutum est autoritate S. R. M. Dominorumque spiritualium & temporalium, ut & domini communium in Parlamento congregatorum, ut &c. Quale ergo sit, quod Legatus Veneta Reipubl. anonymous in Relat. de Regno Britannico, qva ap. Honor. extat, asserit: Quoties materie quedam publica accidunt, que ad bonum sive ad detrimentum regni ac subditorum spectant, v. gr. legem novam constituere, alias examinare vel reprobare, &c. tunc consueverunt Reges modestie gratia antiquam consuetudinem servare, ut Parlamenta convocent, in quibus Regni Statuta & Ordines tres congregantur, hoc est Clerus, Nobiles & Populares, ut ab hisce examinato negotio quo de agitur à Regibus deinde eorum decreto confirmetur aut reprobetur, &c. quodque porro Robertus Filmerus in Patriarch. & in iterata ejusdem editione Edmondus Bohunius pro vendicanda soli Regi legislatoria potestate assert, ex eo, quod in contrarium adducit Autor Anonymus Patriarche non Monarche, ut & Algononus Sidney acerrimus patrii juris propugnator in tr. posthumo de Imperio, abunde patet.

Greifswald, Diss., 1702/05

ULB Halle
004 564 162

3



TA → 0C

nvw 1 + 17 Stück verknüpft und
f



EXERCITATIO PHILOSOPHICA,
DE
**JURE PRINCIPIS
DISPENSANDI
CIRCA LEGES PRÆCIPUE
POENALES,**
Occasione Illustris controversia
Anglicanæ,
Cujus primam Partem
Auspice DEO Optimo Maximo
Sub PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,
DN. JO. PHIL. PAL THENII,
Historiarum & Moralium Professoris Regii Ordin.
longe celeberrimi,
In Alma Pomeran. Auditorio Majori
ad diem Julii M DCC V.
Publicæ συμφιλοσοφίαν disquisitioni
submitit
JOHANNES BÄHR, Gryphisw.
H. Lq. C.

GRYPHISWALDIE,
LITTERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
REG. ACAD. TYPOGR.

